

36
9

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE INSULARUM INDIAE
OCCIDENTALIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GUALTERUS STEEL,

Scotus,

CHIRURGUS, IN CLASSE REGIA.

Principiis obsta; sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

OVID.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCH.

MDCCCXVIII.

DISSERTATIO MEDICA

TRACTATUS

DE FEBRE INSULARUM INDIAE

OCCIDENTALIS;

ACADEMIAE BRITANNICAE GENUINI RATIONARIUM

ANNUENTE QUINQUEMIES

EX AUCTORITATE REVERENDI ACADEMIAE

D. GEORGI BAIRD, S.S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRÆFECTI

ATQUE BELLO VIKINGO GALLIS ALIISQUE EUROPAEIS

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORIS

EXAMINATA ET DEFENDITA HONORABILIS AC BRITANNICAE

ACADEMIAE BRITANNICAE GENUINI RATIONARIUM

ACADEMIAE BRITANNICAE GENUINI RATIONARIUM

GUILLIELMUS STELLI

EX ANIMO OPTIMO CONSECRAVIT

CHIRURGUS IN CLASSE REGIA

G. STELLI

Principis obstat: auro medicina paratur
Cum mala per longas convaluere moras
GVID.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

RECUDERANT DUN. STEVENSON ET SOCI.

MDCCLXXXIII.

VIRO STRENUISSIMO

T. B. MARTIN,

COPIARUM NAVALIUM PRAEFECTO-VICARIO,

ORDINIS HONORATISSIMI BALNEI EQUITI IMPERATORIO,

CLASSIS BRITANNICAE CENSORI RATIONARIO;

OB EXIMIAS ANIMI DOTES

OMNIBUS AMATO,

RERUM NAVALIUM PERITISSIMO,

ATQUE BELLO VIXDUM GALLIS ALIISQUE EUROPAEIS

CONFECTO, OPTIME MERITO;

HAEC UTUT TENUIA,

PROPTER MULTA BENEFICIA ET HUMANITATEM

AUCTORI,

DUM SUB EO STIPENDIUM FACERET EXHIBITA,

EX ANIMO GRATISSIMO CONSECRAT

G. STEEL.

JOANNI ABERCHOMBIE, M.D.

T. B. MARTIN

COLL. REG. EDINBURG. EDIN. SOCIO

OPUSCULUM HOCCE

DEDICATUR

OMNIBUS AMATO

LEAVE GOLDEN PAGES

TESTIMONIIS QUA SOLERTIAM EJUS MEDICAM OMNES
COMPROBAT OPTIME MERITO

MERITO MIHIUS OBERSERVANTE ET VENERATIONIS

PROPTER MIRA BENEVOLE ET HUMANITATEM
QUA IPSUM PROSEQUITUR

AUCTORI

EX ANIMO GRATISSIMO CONSECRAT

EX ANIMO GRATISSIMO CONSECRAT

AUCTOR

G. STELLI

JOANNI ABERCROMBIE, M.D.

COLL. REG. CHIRURG. EDIN. SOCIO.

OPUSCULUM HOCCE

DEDICATUR;

LEVE QUIDEM PIGNUS

AESTIMATIONIS QUA SOLERTIAM EJUS MEDICAM OMNES

NEQUE MINUS OBSERVANTIAE ET VENERATIONIS

QUA IPSUM PROSEQUATUR

AMICISSIMUS SUUS

AUCTOR.

JOANNI ABERCHOMBIE, M.D.

COLL. REG. CHIRURG. EDIN. SOCI.

OPUSCULUM NOCCE

INDICATA

LEVE GUIDEM PRINCIP

ARSTIMATIONS QUI SOLERTIAM EDUS MEDICINA OMNIBUS

NEQUE MINUS OBSERVANTIA ET VERNATIONIS

QUI PRINCIP PROSPERATUM

AMICIS SUIS

AUCTOR

DISSERTATIO MEDICA

JOANNI ABBONDANTE, M.D.

IN ACADEMIA

QUARUM

OPUSCULUM

FEBRE INSULARUM INDIAE
OCCIDENTALIS

- 17, — 6, pro BLAIR, vix BLAIR.
- 18, — 6, pro christiani, vix christi.
- 27, — 1 et 2, pro alios cum refectore, vix alios
omni refectant.
- 28, — 11, pro pauca, vix pauca.
- 28, — 12, pro factos, vix factum.

PROOEMIUM

PLURIMA quae malo dicenda contigerunt no-
mina, a signo quodam sortita, sequuntur
quacvis non perpetuo recte coeunt, licet non
deduxerunt; sic, verbi gratia, *Typhus Insularis*
SAUVAGESII, *CULI*, *INDIAE OCCIDENTALIS*, quo
tamen saepe deest, *Hispanis* *Fossilis* *Primo* di-
citur; quacvis veritas niger neque omnibus
exemplis ut praesens, aut etiam necessarius.

Cetera

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

MAGDALE

FEBRE INSULARUM INDIAE
OCCIDENTALIS

ERRATA.

- P. 12, l. 17, *pro* Typhus, *lege* Typos.
— 13, — 6, *pro* BLAIR, *lege* BLAIN.
— 19, — 6, *pro* ebrietatem, *lege* ebrii.
— 23, — 1 et 2, *pro* alios enim refrænare, *lege* alias
enim refrænari.
— 28, — 11, *pro* potus, *lege* potum.
— 28, — 13, *pro* factus, *lege* factum.

PRÆMIUM

PLURIMA quæ malo dicendo castigantur no-
mina a signo quodam fortuito, sed
quavis non perpetuo morbi comite, hæc
deduxerunt; sic verbi gratia, Typhus heterodes
SAUVAGESII, CULLENII a cutis hævedine, quæ
tamen sæpe deest, Hispanis Romæ Prieto di-
citur; quavis vomitus niger neque omnibus
exemplis sit præsens, aut etiam necessarius.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

FEBRE INSULARUM INDIAE OCCIDENTALIS

COMPLECTENS.

PRÖOEMIUM.

PLURIMA quae malo dicendo contigerunt nomina, a signo quodam fortuito, frequente, quamvis non perpetuo morbi comite, hactenus deduxerunt; sic, verbi gratiâ, *Typhus Icterodes SAUVAGESII*, *CULLENI*, a cutis flavedine, quae tamen saepe deest, Hispanis *Vomito Prieto* dicitur; quamvis vomitus niger neque omnibus exemplis sit praesens, aut etiam necessarius.

Causo

Causo veterum, Febri Ardenti recentiorum, idem objici potest, quoniam a singulari tantum indicio morbi trahantur.

Satis accurate in definitionem Synochi Culenianam referas, atque signa et morbi et cadaveris cum ratione medendi Synochum, ni fallor; multo magis quum Typhum respiciunt. Morbus, saltem quatenus inter Europaeos Insularum Carribearum nuper advenas, quem quidem nobis occasio contemplandi imprimis contigit, istiusmodi habendus est.

Denique votum est, ut nomen hujus a naturâ intimâ vel proximâ potius traheretur, quam ut supra docuimus; mihi enim non deest suspicio, quaedam morbis saepius medelam praescribi solere ex nomine tantum, vel ordine nosologico saltem imperitis, quam vulgo intelligitur.

MORBI HISTORIA.

MULTOS jam ante annos, Europaeos homines recens ad Insulas Indiae Occidentalis advectos miserè vastavit hic morbus, quorum magnas cattervas ante diem vitâ raptim luceque spoliavit; et in bello recente quum necesse esset copias magnas, tam navales quam militares contra Gallos circa has insulas servare, plures sine dubio febre ibi quam ferro absumebantur; febrem quidem describam, ut, inter socios navales navium quibus stipendium feceram hisce temporibus locisque, saeviebat.

Indicia vel sub initio valde notabilia; valde quidem signorum Pyrexiae cujusvis incipientium similia, sed celeritate longe majore progredientia; vehementiâ, rapidâque signorum sibi invicem successione, a corporis habitu, tempestatis calore, causa excitante, curatione, et regimine,

mine adhibito per horas primas impetûs, pendentibus.

Languor et lassitudo quidem raro in febribus hujusmodi post horam unam vel alteram continuant, plurimis nusquam sentiuntur; rigores hic leviculi algores sunt, quos aegrotans aeri imputat. Capitis dolor inter prima signa, sed potius gravitas primo, vel molestia obscura, dolores dorsi, genuum, surarum, nausea, vomitus, materia ejecta fere quam ventriculus continebat, cum liquore viridescente aut bilioso admixto; anorexia, sitis, lingua albida, alvus astricta, pondere vel etiam dolore apud praecordia senso, pressione aucto.

His signis post horas paucas substiterint, alia adjiciuntur, veluti facies florida, vasa adnatae rubentia, turgida, globo oculi ipso hominem afficiente quasi jam jam ex orbitâ prorupturo; qui sensus maxime molestus est. Cutis arescit, calescit; pulsus celeratur, induratur, non tamen distenditur; sitis augetur, sincipitis dolor, quum loca

supra orbitam, vel sinus frontis ipsi describunt, paulatim intenditur, retinae sensus sic acrior ut aeger lucem perferre nequeat; delirium quoque nunc semet addere proclivius sed irrequietum, ferox; arteriae temporales pulsitant, omnia quidem signa impetus sanguinis caput versùs intensi; dorsi, memborum, surarum cruciatus augetur, cibos omnes febriens aut fastidit, aut sumptos rejicit; angor scrobiculi cordis ingravescit, impensius pressione factâ indolet. Potus subacidi fiunt grati, desiderati; urina rubra et parca, neque rarum est hominem veterno quasi premi, hebetem invitè excitandum, parùm nisi potum velit, loquentem, in somnum pronum, denique torpore oppressum.

Si haec indicia triginta et sex, vel quadraginta et octo horas perseveraverint, aliis et magis perniciosis brevi excipiuntur. Capitis dolor et delirium augetur; sin minùs, universus torpor occupat. Tunica adnata oculi non amplius in inflammatione visa; lucet, nonnullis tamen exemplis flavescit. Praecordia adhuc
magis

magis torquentur, vomitus nunquam requiescit, quod ejicit vomitionem nigram nunc appellatam, caffaeae sedimento, vel faecibus vini vetustioris simillimum. Pulsus celer abnormis, sic ut nonnunquam numerari non possit, sudore tenace ex variis partibus profluente; cutis saepe totius corporis flavedine occupatur, aliquamdiu ante mortem, frequentius tamen non nisi paucas post interitum horas. Pessimis his adjiciuntur, subsultus tendinum, urinâ sine sponte decedens, alvus item, singultus, nervorum distentiones, et mors tandem tot miseris finem positura.

Ubi malo non occursum fuit, sed infractus varios suos status transcurrere sinitur, ordinem supra comprehensum sic persequi consuevit; aut tertio aut quarto die vitam extingueret, licet ad septimum usque vel ultra in quibusdam exemplis trahatur.

Signorum febris plenam remissionem me unquam notasse, dicere nequeo. Postmeridianum quidem tempus versus quaedam exacerbatio
apparens,

apparens, aucta vasorum motio, auctus ideo cutis calor sitisque, ut decuit, inde videbantur; sed quum haec mutatio aliis in morbis, etiam sanissimâ valetudine plus minus fiat, exacerbatio febrilis parum accuratè habeatur.

Secundo vel tertio die remissio malorum intercedere videtur, angor praecordiorum lenitur; aeger refectus apparet, seque melius habere profitetur; delirium, modo adfuerit, abit; mens redit, pulsus prope naturalis; cutis olim arida, calens, nunc frigidula, sitis decedit, nec raro cubans cibum postulat. Spes autem a tali malorum graviorum cessatione natae, nimis saepe fallaces; merae mortis blanditiae habeantur, nam dira malorum cohors cito pede insequitur, notans fortasse debilitatem qua prior excitatio corpus afficit.

Nunc aut torpidus jacet, delirio mussitans, excitari nolens; aut praecordiorum dolorem queritur; vomitus, si induciis intermissus, denuo recurrit; sordes illas supra dictas ventriculo depromens

promens quod signum lethale jure habetur. Quin alvi purgamenta eandem subinde speciem prae se ferunt, odore foetido et putrido. Postremo singultus, subsultus tendinum, musculorum distensiones, cutis flavedo excretiones sine sponte descendentes, pulsus debilis intermittens, et mors.

QUAE CONSPICIUNTUR IN CADA-

VERE.

QUIBUS delirium multum fuit, aut mentis alienatio, iis aut cerebrum vel membranae ejus inflammatae, aut serum aliquà effusum reperiebatur; latera cerebri gravioris inflammationis notas ostenderunt, vasa tam durae matris, tam cerebri ipsius, turgidiora quam sanis consueverunt; membranarum concretiones praeter naturam videntur, nec raro serum flavidum ventriculis

culis aut sub cerebrum; atque uno in exemplo, Pia Mater obsessa lymphâ crassâ puris haud absimili.

Thoracis viscera raro quiddam morborum ostendebant, nisi quod in nonnullis exemplis propè partem septi transversi dexteriores quâ jecori adhaeret, inflammatio visa fuerit.

In abdomine verò, et stomachus et intestina semper inflammationis vestigia retinebant; hujus quidem omnes variationes participant, a levi vasorum peritonei tensione, ad terminationem ejus aut in suppurationem, quam purulenti quidam flocculi per intestina dispersi indicant, vel serum in cavum abdominis profusum; vel ut non semel accidit gangrenam; parte nimirum intestinorum sphacelo correpta, adeoque ventriculo aut intestinis, hic et illic perforatis. Foramina istius generis a succo gastrico, fieri posse nonnulli contendunt. Quae ipse quidem viderim, centrum locorum inflammatorum occupabant,

pabant, ac nemo, ni fallor, inflammationem post mortem subortam esse dicet.

Hepar crebro inflammatum, vasaque ejus tam sanguinem tam bilem vehentia perquam tumida. Partes urinae dicatae nunquam morbi vestigia ostenderunt; neque alia abdominis viscera.

Haec morbi indicia satis explicant, necnon celeritatem quacum stadium percurrit, et felicitatem, quadam ex parte, illius curationis quae nuper in Insulis Americanis usurpatur.

Capitis dolor, vomitus, stupor, torpor, delirium, caecitas, et terribilis sed fallax imbecillitatis sensus, sub initio morbi praecipue notabilis, a cerebro membranisque inflammatis facile explanantur. Calor et pondus perceptum; dolorque scrobiculi cordis pressione multum intensus, alvus pertinaciter astricta, singultus, vomitus niger, ventriculus impensè irritabilis,
pulsus

pulsus durus contractus, auctus tamen et mol-
litus post sanguinis missionem, satis, ut ego
quidem opinor, explanantur, a statu quo ven-
triculus et intestina post mortem reperiuntur.

CAUSAE.

MORBO huic procliviores sunt mares quam
foeminae, robusti, recens advecti, sive ab Europâ
sive ab America Septentrionali: intemperati
demum seu cibi, seu potûs, praesertim poste-
rioris.

Complures causas excitantes dederunt auc-
tores, veluti, contagionem, miasma paludum,
solis vel lunae radios, rores nocturnos, victûs
errores, et similia. Has sigillatim causas trac-
tare consilium est. Imprimis paludum effluvium
quod

quod universè admodum causa excitans habetur.*

Auctores crediderunt vapores stagnis orientes, quibus plantae cum animalibus simul putrescunt, accelerante calore et humore, rationem reddere idoneam, cur haec febris inter tropicos adeo crebro adpareat. Dr. BANCROFT “a longâ observatione,” conclusit, “ex miasmate paludoso et caelo insolito, et multo calente, corporaque, frigidiori temperie assueta subagitanti, morbum illum epidemicum oriri, qui has insulas infestat.” Addidit, “vulgarem febrem biliosam ab omnibus ad miasma relatum, nihil a febre flava discrepare, nisi quod vehementior haec sit.” Inter omnes quidem illud convenit, quod et CULLENUS clarissimus profitetur, Typhus vel notas febrium paulatim, aliam in aliam commutari, atque unam ab aliâ febre

* Vide Dr. HUNTER, Diseases of Jamaica; BLAIR, LIND, FORDYCE, on Fevers.

febre gradu tantum esse diversam, probè mihi met persuadetur. Annon vero binae hae formae hujus febris a miasmate solo proveniant, multum deest, ni fallor, ut plenè constaret; quamvis auctores infra laudati hanc unam considerârunt. Doctores J. HUNTER et BLAIR tradunt, vix ullos ex nautis, aquandi gratiâ ad loca prope Kingston Jamaicense, de navibus missis, febrem effugisse, quod stagnis et paludibus vicinis attribuunt. Hisce vero temporibus Aethiopes aquam ad naves advehunt, tamen febris minime raro inter nautas occurrit, quapropter, rei cum causâ non amotae, alia causa quaerenda erit.

Alia quoque universè accepta causa contagio est, quae diu quidem et strenuè a nonnullis auctoribus tenebatur, aliis haud minùs strenuè negantibus. Plerique medicorum, credo, qui hunc morbum viderunt, non contagio propagatum (saltem primo sub ortu) putant.

Quum ad has insulas primum accederem, febrem contagiosam esse sanctissimè mihi met persuaseram,

persuaseram, non minus quam pestem Asiae, et Mediterranei, vel Typhum Britanniae omnes credunt; et cum primum inter socios navales appareret, omni cautione usus sum ne ad sanos proserperet; et quum res esset adhuc sub lite, omnia, quae ad iudicium proprium ferendum conferunt, accuratè notare mecum statui. Auctores enim valde dissoni. Paucis jam hebdomadis veneramus cùm homines quidem, omnes tamen scaphis versati, querebantur. Lectuli, tum, loco totius navis maxime perflato, suspensi quidem sunt. Sed in nave bellica minore (quam *sloop of war* nostrates vocant) spatium deest, quo morbosi a sanis separentur, ideoque liberalis virorum intercursus invitè permissus; quinetiam sanos nonnullos oportebat cubare vix tres pedes a morbo, brevi quidem spatio morituris distantes. Nihilominus, nulla infectionis exempla visa, quamvis omnes nautae, recentes a Britannia, morbo essent proniores; nulli enim per totum tempus febricitârunt, nisi qui ad terram scaphis remigârant.

Cum

Cum eventus prorsùs similes conspicerem, per quinquennium, quo, per has insulas stipendium faciebam, et observationes quoad contagionem curiosè iterarem, hactenus de contagione persuasissimus, tandem nullo modo sic propagari sensi; adeo ut cum febris inter naves grassaretur, ad causas satis obvias vestigari potuit.

Historiam (ne multus sim) aliam tantum adjiciam, eodem facientem. Anno 1814 ad finem vergente, quatuor homines navem Rotam deseruissent, apud Portum Antonium Jamaicae Borealis, ubi quadraginta dies latebant. Navis interim, ad Portam Regalem provecta reficiebatur, commeatus redintegrabat. Regressi hos reperiēbamus in casâ servi Aethiopsis, febre regionis et pessimâ quidem correptos, vomitus niger, cutis et oculorum flavedo manifesta. Ex tribus, duo nave mortui sunt; tertius aegre superstes et debilissimus, Europam valetudinis redintegrandae gratiâ mittebatur. Interim miseris nave repositis altum petimus. Tabulatum tormentorum occupant. Liber aliorum, ut diximus

mus, nautarum concursus permittitur, a sanis quidem perpetuo nutriebantur, nullus tamen hac totâ navigatione febre petebatur.

Plura eandem opinionem confirmantia mihi occurrerunt; febrem scilicet contagio carere; saltem cum mundities et proba ventilatio adhibentur, neque aliter sentiunt plerique medicorum quibus cum de hac febre collocutus sum.

Eadem quoque sententia placuit variis illustribus medicis, per Insulas Americanas artem diu exercentibus.*

His rite perpensis, tutè, ni fallor, ducamus et miasma paludum et contagionem rarè, si verò omnino, febrem excitare; simulque aliam oportere existere, quae morbum his absentibus producere

* Vide Dr. HILLARY, Epidemical Diseases of Barbadoes, p. 145.

Dr. CLARKE's Treatise, p. 52.

Dr. JOHNSON, Ex Classe Regia, p. 241.

ducere possit. Quam ipse, dum ibi artem facerem, veram causam putavi, breviter descripturus sum. Varias nimirum res simul enatas, corpusque morbo praeparatum vehementer afficientes; sed quid corpora in febrem proclivia det, primum dicendum venit.

Europaeus homo caelum relinquens cujus temperies inter 45° et 55° gradum. FAHR. media fluctuat, ante trigesimum, vel ut plurimum quadragesimum diem, translatus fuit, quâ caelum fere inter 84° et 90° gradum ardere consuevit. Homines quoque recens advecti, quales in exercitu vel classe stipendium faciunt, pleni et robusti habitus et ad inflammationem proclives sunt; ideoque stimulis quibuslibet vehementioribus magis afficiuntur.

Primus manifestus a stimulo caloris effectus, aucta actio est cordis et arteriarum, quae adjectis aliis interdium stimulis, exercitatione, cibo, potu, aliisque sub noctem ad febrem temporariam increvit. Hinc nox irrequieta, somnus

perturbatus. In lecto semper, saepe interdiu, copiosa sudoris perspiratio ab universa cute prorumpit, Lichene Tropico (*prickly heat* nostris dicto) haud raro comitante.

Haec conditio ad plures menses, duodecim forsitan vel octodecim, durare potest, sed paucis fere diebus effectus in organa concoctionis et in intestina percipiuntur. Cibi fastidium et prava concoctio certissimè sequuntur; haec excipiunt eructationes acres, sitis, lingua arida, nausea, vomitus, anorexia, alvus perpetuò adstricta, dolores capitis, animi demissi, meticulosi, morbi timor. Quibus mens hilarior a natura data est, depressio et timor minus evidentes sunt, sed alii affectus non minus graves. Qui tamen vitam despondent morbo faciliùs et crebriùs absumuntur, sicut saepe notavi; etiam si morbus utrosque perinde impetat.

Hunc ad modum advena habetur, donec corporis functiones semet aptaverint novis conditionibus coeli, novis consuetudinibus vitae, adeo
diversis

diversis ab iis quibus olim versabantur; adeo noxiis omni aevo, homini Europaeo. Si his ad-
 jiciatur labor vel exercitatio quaevis, praecipuè,
 ut fere fit, sub solis radiis; aut die labore ab-
 sumptâ, si noctem vinum aut vinosa potando
 ebrietatem producant, deinde dormiant, ventis
 objecti frigidis, humidisque, nocturnis, onustis
 rore vel vaporibus, interdiu sole per aera su-
 blimatis, iterumque frigore nocturno condensa-
 tis. Febris utique inducetur, non quod omnes
 has causas aliquis non semel iterumque effu-
 giat, vel etiam saepiùs; sed sorte verè beatâ se
 frui credat qui diu talibus objectus incolumis
 tamen evaserit. Illae quidem causae sunt e qui-
 bus plura nobis curata exempla facile provenie-
 runt.

His rite perpensis videmus victum parcum,
 praecipuè ex herbis, omni liquore distillato vi-
 tato, levi exercitatione uti, solem aequè ac rores
 nocturnos vitare, corpus tutius ab hoc malo
 praestiturum. Imbecilli quoque et delicati im-
 muniores; ideoque Galli, Hispani, faeminae om-
 nes

nes Europaeae; atque hoc explicatur a victu herbaceo quo vitam tolerant, vinoque, quod lenius potitare solent.

RATIO SYMPTOMATUM.

QUANDO homo, ut supra declaravimus, praeparatus, causis fit obnoxius, a stimulatione earum vehemente magna excitatio inducitur, quae nonnunquam debilitatem aequalem relinquit; vis medicatrix naturae tonum et aequilibrium variarum machinae animalis partium restaurare conatur; quae nunc exhaustae, excitatione justa egent, ad munera perfungenda necessariâ. Hic conatus est, qui gradu varians, meo quidem iudicio, morbum constituit; et ut clarissimi auctoris verbis de dolore agentis verò, utar. “Hinc tot morbis frequentissimum, molestissimum comitem se jungit, saepe ipso morbo intolerabiliorem.

intolerabiliorem. Modicus dolor partem affectam et paulatim totum corpus excitat, majorem sanguinis et vis nervosae fluxum ad partem facit et ad motus necessarios et salubres saepe stimulat, fidelis quamvis ingratus monitor.”

Nervis ad cor et arterias usque vis nervosa devehitur, omne genus arteriarum excitatur in actionem, quae nunc ultra naturalem impetum multum intenditur, et proclivitas quaedam inflammatoria aut inflammatio ipsa consequitur, ut arteriarum plenitudo et vehementia, cum signis post mortem aliis satis superque ostendunt.

Repletio quoque vasorum tunicae adnatae, dolor obtusus super *orbitas*, capitis dolor, stupor, delirium, quod subito saepe invadit, postquam aeger radiis solaribus per horas aliquot patefactus est, nec raro primum indicium. Dolores in ventre et epigastrio, pressione aucti, ventriculi mobilitas, alvi tarditas, omnia manifestè indicia sunt inflammationis generalis; cerebrum

rebrum autem cum membranis; ventriculus et intestina a forma peculiari, mobilitate majore, usuque in machina animali quem habent, inflammationis in se effectus celerius indicant, atque quo vehementior inflammatio his organis subsistens, eo insignior perturbatio et discrimen vitae animalis.

Quae cadavere resecto videantur suprâ, (p. 9), dicta sunt, atque omnia originem malorum ab inflammatione provenisse demonstrant.

Causae igitur, ut diximus, hae sunt: insuetis aeris calor, radii solares, victus imprudens, potus meracior, exercitatio vehemens, praesertim si haec superioribus causis adjiciatur; venti frigidi, terrestres rores nocturni. Illae, seu singulae, seu conjunctae, quod saepius fit, febrem endemicam Carribeam concitare sine dubio valebunt; saepe quidem ad has investigavi, ad ebrietatem saepissime; adeo quidem ut nautae, quos praefectorum imperia et diligentia liquori-
bus

bus fortioribus prohibuissent, (alios enim refracnare nequeant) longe sanissimi reperti sunt.

Ne singularis videar, has febris causas confirmando, medici alii tum classis cum exercitûs, idem senserunt; unde imperia ductorum, “ ne viri semet inebriare sinerentur, ne durum laborem interdiu sub sole ardente subire, noctu vero aëre dormire, roribus expositi, permetterentur.”

Haec sancita complures homines observarunt; quin etiam observatum est, navium sodalitia eo saniora vigere, quo attentius ductoris praescripta exsequebantur.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

QUONIAM haec sola febris continua sit inter Europaeos homines illuc recens advectos, facillime dignoscitur, variat quam maxime quoad vehementiam, modo Ephemera levis, sanguinis missione et medicamento purgante fuganda; modo violentum illud malum quod supra descripsimus, sed praedispositio, et signa jam recensita satis superque distinguunt.

CURATIO.

SIGNA et morbi et cadaveris, testimonia peritissimorum et sagacissimorum professorum, non minus quam propria experientia observationis etiam proprio corpore perceptae, me movent,

vent, ut lubentissime eam medendi rationem laudarem, quae nunc invaluit, remedia scilicet antiphlogistica quam maturrime exhibendi.

Primum igitur consilium erit, renixûs violentiam temperare, quod efficere, potentissima et efficacissima est sanguinis detractio, quantam maximam aegrotans ferre potest; atque haec quam proxime post signa planè apparuerint. Si juvenis robusto corpore et aetate sit, primo mittantur unciae xxv ad xxx; post horas duodecim, si febris nihil cesserit, iteranda, plus vel minus prout effectus prioris missionis et malorum status tum postulabit; saepe ad animi deliquium detractionem urgere coactus sum, semper tamen manifesto febrientis commodo. Nul- lum quidem aliud praeceptum dandum est, quam ut detractione perstes primo triduo, saltem, donec mala leniantur, febris sistatur aut aeger exinanitionem non amplius ferre possit. Non memini quidem, me ullum vidisse morbum sanguinem promptius aut liberalius mitti postu-
lantem;

lantem; ne Pneumoniam quidem aut Gastritidem exceperim.

Sanguinis missioni purgatio proxima est, et perinde ac illa maturrimè exhibenda est. Exempli causa, ℞ Pulveris Jalapae ʒss. Submuriatis Hydrarg. gr. xv; boli tres conficiantur, quorum unus tertia quaque hora sumendus, donec alvus responderit, atque id promovere, Enema injiciatur. Mirum est, quam magnae doses aliquando requirentur, ad alvum vacuefaciendum, perinde ac in Enteritide fieri consuevit. Extractum Colocynthidis, Aloe, Scammonia, aut per se aut Calomelanè juncta, optima sunt, quia dosis modica et pilulis praebetur; et ventriculum fere irritabilem minus offendit. Post primas evacuationes nihil cessandum; dejectiones liberae servandae sunt.

Quum calor cutis magnus neque ullus sudor, affusio frigida utilissima est, utpote quae febricitantem refrigeret et recreat; perspirationes saepe

saepe citat, febrem levat. Huic tamen soli minime fidendum. Capitis dolores rasurâ capillorum mitigandi, linamentis aceto vel aethere expressis et admotis, conclave spatiosum, perflatum liberè esse debet; potus frigidulus, succo aurantii vel limonis acescens, curâ semper habitâ, ne ventriculus ullo modo offendatur. Cibus ex theâ vel caffèâ cum pane, jure tenui; Marantâ Arundinacea, Orchidisve Masculae radices rite praeparatae.

Pilulam ex duobus submuriatis Hydrargyri granis confectam, tertiâ quaque horâ post alvum probe solutam, exhibere solitus sum. Haec et alvum laxam servabat, et salivationem tandem movebat, quod multi medentium maximè momenti habuerunt. Certum est febris indicia evanescere solere, simulatque salivatio manifesta fiat, atque hoc aliqui Hydrargyro condonant: nos quidem, non sputationem fugâsse febrem, sed fugam febris permisisse sputum propensiores sumus; saepe enim, saeviente febre, nullâ arte salivam movere potui, etiamsi Hydrargyrum

drargyrum liberalissimè propinaveram et infri-
caveram; sed, decedente febre, salivatio profusa
cito superveniret. Quoniam autem Hydrargy-
rum sit commodissimum, ad alvum perpetuo
laxandam nunquam id omitti oportebit.

Vesicatoria ampla capiti vel praecordiis ad-
mota nonnunquam prosunt.

Signum fere molestissimum, irritabilis ille
ventriculi status, quo vel cibos vel medicamenta
non nisi aegerrime contineat. Capsicum eo an-
num potus cum succo citri limonum et saccharo
commode operatur; sed nihil nisi vehemens fac-
tus sit. Aliud remedium illud est; ℞ Carbon.
Magnes. ʒi. Pulver. Zingiber. gr. x, Aquae
Menth. Pip. ʒviii; hujus cyathus bis in hora
administratur urgente vomitu. Postquam in-
gens actio cordis et arteriarum sedata esset,
sed aeger insomnis ageret, Pulveris Ipecacu-
anhae cum opio gr. x, cum Camphorae grano uno
admixto, perquam utile inveni.

Si his auxiliis morbus ad sanitatem perducitur, quod in plurimis fiet exemplis, modo haec remedia mature adhibeantur, praesertim sanguinis detractio, (sine hac quidem alia supervacua omnia putarem), homo procul dubio in magna debilitate relinquitur; tales autem facile convalescunt. Infusum Quassiae aut Cinchonae aut Gentianae, cum pauxillo vino refectionem accelerabunt; simul vero atque aeger exerceri valebit, haec cum balneo frigido, vires omnino restituet.

FINIS.

